

Heinrich Schuckmann Engelbert Kettler

## **Disputatio Inauguralis Continens Synopsin Totius Iuris Feudalis**

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73185084X>


Druck Freier  Zugang



Überblick über gesamtes  
Feudalrecht

Schackmann-Kettler. Kart. /e  
R. U. Jur. 1643.







50  
DISPUTATIO INAUGURALIS

Continens

SYNOPSIS  
TOTIUS JURIS  
FEVDALIS,

81

QUAM

AUXILIANTE TRIN-UNO

Ex Decreto & Auctoritate

MAGNIFICI, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI

Œtorum Ordinis in Illustri ac Celeberrimâ ad

Varnum Academia,

PRÆSIDE

*Viro Amplissimo, Clarissimo ac Consultissimo*

DN. HEINRICO SCHÜCKMAN,

Jcto Celeberrimo, Professore Codicis Publ. & p. t.

Facultatis Juridicæ DECANO Spectabili, Dn. Fau-

toro, Patrono ac Promotore parentis loco hono-

rando, colendo,

Pro summis in Utroq; Jure Honoribus ac Privile-

giis DOCTORALIBUS ritè consequendis

*Publico Examine submitteret*

ENGELBERTUS KETTLER,

FRISIUS ORIENTALIS.


*Die 2. Novembr. horis ante- & postmeridianis.*

IN AUDITORIO MAGNO.

---

ROSTOCHII, Typis NICOLAI KILII, Acad. Typog. Anno 1643.





277

VIRO

MAGNIFICO, STRENUO, ANTIQUA  
Generis Nobilitate, Virtute, multipliciq, rerum  
usu & experientia praeantissimo, DOMINO,

DN. CASPARO  
ERICO A  
Stechow.

UT ET  
AMPLISSIMO,  
CLARISSIMO Ac CON-  
SULTISSIMO VIRO

DN. JOHANNI  
VOLRADO  
KETTLER,  
J. U. LICEN-  
TIATO.

Illustrissimi  
ac Genero-  
fissimi Co-  
mitis ac Dn.  
Dn. UDAL-  
RICI,  
Comitis ac  
Domini Fri-  
siae Orienta-  
lis, &c.

MARESCHALLO  
SPECTATISSIMO,

Domino Mecanati,  
Patrono meo magno, ac Fau-  
tori aeternum honorando.

Præfecto arcis & tra-  
ctus Pewesensis meri-  
tissimo, Parenti meo omni pi-  
etatis, honoris & observantia  
cultu venerando.

Disputationem hanc Inauguralem

*In debita gratitudinis & Observantia  
nunquam intermoritura testimonium,  
alterioremq, mei recommen-  
dationem*

Offero & inscribo

Engelbertus Kettler.





Principium, medium atq; terminus

DEUS. Nov. 109. pr.

THESIS I.



E jure Feudorum disputaturus minimè  
opus reor, multis laudes ejus deprædicare, cum no-  
torie sit difficillimum, utilissimum, frequentissimum,  
scituq; necessarium. Dicitur autem Feudum q. fi-  
dum à fide. 2. F. 3. *in fin.* à qua formam & essentiam  
habet.

2. Consuetudines Feudales originem primam deducunt à Lon-  
gobardis, & adhuc rectè dicuntur consuetudines, licet bonæ recordatio-  
nis 2. F. 84. & 88. & facilioris probationis causâ in scripturâ redactæ sint.  
Et habent legû vim non ex compositione, quia ea certo LLatori attribui  
nequit, & est tantùm rapsodia quædam cum primis à Gerharo Nigro  
& Oberto de Orto Consulibus Mediolanensibus sine legislatoria pote-  
state confarcinata; sed ex approbatione Imp. & quatenus per tempus  
immemorabile in foro sunt receptæ. Hinc illas Judex in causis Feudali-  
bus non minus ac jus civile in civilibus *Auth. jubemus. C. de judic.* sequi  
debet, etiam inter Clericos. *arg. c. 6 & 7. X. de for. compet.* Licet autem  
in materia feudali vincant jus Romanum. *c. un. 2. F. 1.* ad decisionem ta-  
men causarum civilium contra jus civile vel Canon. (ex quibus causâ  
feudalis jure Feudali indecisa est terminanda. *d. c. un.*) allegari nequeunt.

3. Feudû est jus in re sub mutæ fidei 2. F. 6. *in fin.* (inter Dom. enim  
& Vasallum nulla fraus nec ullum malum ingenium debet intervenire.  
2. F. 52. *S. ult. & tit. 97.* Et 5. F. 6.) conditione constitutum. Aliàs dicitur  
beneficium. 2. F. 11. & *passim*, ein *Lehen*. Et qui illud dat, Dominus. 1. F. 24.  
& *seqq* Senior. 1. F. 17. & 18. Et 2. F. 52. Patronus, infeudans *der Lehenherr*.  
Qui accipit, Vasallus 2. F. 4. Miles. 2. F. 26. *S. beneficium*. Beneficiarius,  
Beneficiatus, Cliens, Clientulus. 1. F. 10. & 13. Fidelis. 1. F. 1. *S. 1.* Et 2. F. 19. In-  
vestitus 2. F. 104. *S. item*. Infeudatus. 2. F. 55. *pr.* Feudatarius *lib. 5. F. 2.* &  
conjug & amicus Domini. 2. F. 58. *S. Dominum. der LehenMann*.

4. Feudum est vel proprium, quod communem Feudi rationem.  
2. F. 2. *S. ult.* vel propriam naturam Feudis à principio innatam. 1. F. 7.

A

habet



habet, proprieq; jure Feudi censetur. 1. F. 1. §. ult. Das eines rechten Lehens Eigenschaft hat. Vel improprium aut degenerans, quando mutata est (mutationem alleganti incumbit probatio. 2. F. 2. §. ult.) naturalis illa qualitas, sicuti fit in I. Feudo Franco, Freylehen/ quod ab omni servitio est immune. II. Feudo de Camera Cammerlehen/ quod est stipendium Vasallo ex arario Domini concessum. III. Feudo de Cavena, quod est stipendium Vasallo ex cellario Domini concessum. Vid. 2. F. 53. pr. IV. Feudo Soldatæ, quod est præstatio quædam annua gratuita, 2. F. 10. §. II. Hujusmodi Feudum Principes &c. benemeritis Senibus & Nobilibus fortunæ calamitate depauperatis dare solent. V. Feudo habitacionis, quod est jus domum aliquam jure Feudi inhabitandi. Vid. 2. F. 105. VI. Feudo guardiæ, quod Dominus dat custodi, domui suæ vel palatio jure Feudi appposito. VII. Feudo gastaldiæ vel castaldiæ, quod est concessio prædii pro administratione Domus & negotiorum Domini. Hæc duo feuda potest Dominus post annum quâcunq; horâ auferre. 1. F. 11. Conf. 1. F. 2. pr. VIII. Feudo Advocatiæ quod Princeps &c. alicui pro patrocinio vel consilio quod in causis ejus præstat, concedit. Id videtur initium cepisse ab Ecclesiis & Civitatibus, quæ hoc Nobilibus aut Principibus defensionis causâ contulerunt, qui inde dicuntur Advocati seu protectores. Schutz oder Schirm Herrn.

5. II. Feudum est vel Nobile, quod alicui ab Imp. vel alio ita conceditur, ut is nobilis fiat. Et est vel regale, quod cum regali dignitate est conjunctum Fahnenlehen vel Scepterlehen/ qualia hodie etiam conferunt Principes superiorem recognoscentes. Vel non regale, quod talis dignitatis est expers. Vel ignobile seu Burgense, quod sine nobilitandi animo conceditur.

6. III. Feudum est vel antiquum, quod effectu idem cum paterno, & à patre vel alio ascendente est acquisitum ein Altelhen/ Altväter oder Stammlehen. Vel novum quod Vasallus de novo acquisivit, cujusq; causam à seipso & Domino concedente habet. 2. F. 32. Hoc tamen ratione effectuum juris naturam feudi antiqui habet, si à Laico (feudum enim novum pro veteri ab Ecclesiastico datum jure veteris non censetur) concedatur ut antiquum nach Art und Eigenschaft eines alten und rechten Stammlebens. Antiquum a naturam & qualitates suas retinet, si quis de eo investatur tanquam de novo, nisi agnatis consentientibus. 2. F. 45.

7. VI. Feudum est vel Ecclesiasticum, quod in re Ecclesiastica. Vel Seculare, quod in re seculari constituitur.



8. V. Feudum est vel ligium seu homologum, in quo Vasallus contra omnes nullo anteposito fidelitatem promittit. 2. F. 52. §. *fatū & tit. 99.* Hinc duorum ligius uno tempore esse nemo potest. *Vide d. 1. 99* Vel non ligium in quo fidelitas contra omnes, etiam fratrem, filium vel patrem (civiliter tamen hæc sunt accipienda non judaicè) promittitur, 2. F. 28. §. *ult. excepto Imp. 2 F. 55. in fin. Rege. 2. F. 7. antiquiori Domino. d. tit. 28. arg. l. 26. locat. & seipso.*

9. VI. Feudum est vel ex pacto & providentia *Stammlehen* in quo succeditur jure feudi & sanguinis, non jure hereditario. Vel hereditarium ein *Erblehen* in quo succeditur jure hereditario, ex juris communis dispositione, non ex providentia juris Feudalis.

10. VII. Feuda sunt vel in curte Domini, quando id, ex quo utilitas jure Feudi percipitur, à Domino retinetur, q. in ipsius domo. Vel extra curtem, cum illa res q. extra domum Domini transit in domū accipientis.

11. Feuda dare possunt ex Clericis Pontifex, Episcopus, Abbas, Præpositus &c 1. F. 3. Posteriores tamen non aliter sine consensu Cleri. c. *sine 52. caus. 12. q. 2. c. 5. X. de reb. Eccl. non al. c. 1. & 2. X. eod. in 6.* quam si is Ecclesiæ mos antiquus sit. 1. F. 1. *pr.* & res infeudari solita 1. F. 6. quibus casibus rem ad Ecclesiam reversam invito capitulo alij idoneo citra fraudem solito investitura tenore concedere possunt c. 2. *X. de feudis.*

12. Dicuntur autem Feuda à Clericis data *Lehen vom Krummen Stab/ Krumstäbische Lehen* & pleraq; sunt ejusmodi, ut nisi speciatim masculâ conditione concedantur zu *Mannlehen* *sonderlich nicht gerethet/* fæminæ in iis, deficientibus masculis succedant, etiam si investitura illarum specialiter non meminerit. *Danh der krumme Stab schließt niemand aus* (quod tamen intellige pro subjecta feudi materia) Et ita consuetudine servatur in feudis *Fuldensibus & Hirsfeldensibus*, vel *nach Suldischer art/reche vnd gewonheit* concessis, &c.

13. Ex Laicis feuda dant Imp. Dux, Comes 1. F. 1. *pr.* & generaliter omnes liberum jus habentes bona sua administrandi & alienandi 2. F. 3. *pr.* etiam rusticus. *arg. l. 21. C. mand. l. 14 C. de contr. emt. & famina. 2. F. 3. v. feminam.* Minores feuda antiqua renovare, non tamen nova constitucere possunt. *d. 1. 3. pr. & 2. F. 91. arg. l. 7. §. 1 de pecul.* Filius f. bona adventitia, (nisi pleno jure sint sua. *l. 7. C. de bon que lib. Nov. 117 c. 1.*) & profectitia in feudum dare nequit. *l. fin. §. 5. C. d. 1.* aliud est in castrensibus vel q. *l. 7. § ult. de donat. l. ult. C. qui test. fac.* Procurator etiam generalis sine speciali mandato infeudare nequit. *l. 63. de procur. l. 7. pr. de donat.* ut nec



tutores & curatores. *t. t. ff. de reb. ear. qui sub tut. t. t. C. de prad. min. non alien.* licet hi antiqua feuda rectè renoventur.

14. Ipsi etiam Vafallo, nisi in desperatione filiorum sit. *2. F. 73* permittitur de tota re vel parte ejus alium, idoneum tamen subinfendare, zum *Affterleben* ansehen. *2. F. 26. §. beneficium.* modò id faciat sine fraude & præjudicio Domini & agnatorum, & eadem (vel arctiori. *2. F. 108.*) lege, pactis & conditionibus, quibus ipse de eadem est investitus. *2. F. 3 v. per feudum. tit. 9. v. si verò. tit. 34. §. similiter.*

15. Feudum novum acquirere possunt omnes, qui non prohibentur, cujuscunq; sexus, & sic etiam fæminæ. *1. F. 8. §. filia. conditionis,* aut qualitatis sint. *2. F. 3. v. personam.* Laici & Clerici *2. F. 40. §. ult. nobiles & ignobiles,* immo ipso dante superiores. *2. F. 100. ut & rustici,* aut corpore imperfecti &c. Potest & Ecclesia. *d. §. ult. Et c. un. §. verum. X. de stat. reg. in 6.* Puberi vel infantia proximo (infans nec per se nec tutore autore, sed tutor ejus nomine acquirit. *§. 10 J. de inut. stip.*) si detur feudum, tutoris auctoritate non est opus. *§. 9. J. eod. Vid. 2. F. 26. §. si minori.*

16. Filius quoq; non à patre. *arg. l. 1. §. 1. pro donat. Conf. l. 25. C. de don. int. vir. & ux.* sed ab extraneo etiam ignorante eum talem esse, feudum accipere potest, ejusq; usufructus non patri sed filio acquiritur, quia cenetur jure peculii castrensis vel q. l. 1. *C. de cast. pecul.* cujus usufructu, pater non habet. *l. 6. pr. C. de bon. qua. lib.* Servo etiam ex cetera scientia rectè datur feudum & sive proprio sive alieno. *2. F. 3. v. personam.* Et si quidem huic detur cum consensu Domini, & ingenuus sit & feudum accipit, aliàs feudum Domino acquiritur. *arg. l. 6. & seq. C. qui milit. poss. lib. 12.*

17. Materia feudi sunt res soli (Ergo feudum in pecunia per se non consistit, etiam si ex re immobili sit redacta) aut solo coherentes (ut adificia *l. 10. quod v. aut clam.* molendina, non in aquis natantia &c.) vel quæ inter immobiles habentur. *2. F. 1. §. sciendum* (ut annui redditus. *Clem. exi. vi. v. cumq; annui de V. S. regalia. 2. F. 56.* & actiones ad res immobiles competentes) modo vel generaliter ut res sacra, sancta &c. *l. 1. pr. l. 6. §. 2. de R. D. §. 8. J. eod. l. 73 pr. de contr. emt. l. 83. §. 5. de V. O. l. 21. C. de SS. Eccles.* vel speciali quâdam lege, ut fundus dotalis. *pr. Inst. quib. alien. lic. t. t. ff. & C. de fund. dot. prædia minorum. t. t. C. de prad. min. bona liberorum ad ventitia l. 1. C. de bon. matern. res fideicommissaria restitutionsi obnoxia. l. fin. §. 3. & Auth. seq. C. comm. de legat. &c.* non prohibeantur alienari. *2. F. 3. §. sed etiam.*



18. Potest etiam res aliena in feudum dari, licet feudo evicto, i. e. per Judicem ablato *l. 22 §. 1. ff. de evict.* Vasallo ignoranti (nam scienter aliena rei investituram accipiens ob malam fidem. 2. F. 80. de evictione agere nequit, nisi ex pacto. 2. F. 8. & 87. & 96. l. 27. C. de evict.) detur actio de evictione contra Dominum (si modo ante condemnationem eum vocavit ut se defendat 2. F. 25. l. 7. l. 8. C. de evict.) etiam ignorantem, ut feudum æq; bonum præstet. 2. F. 8. vel nummos in feudū dandos numeret. 2. F. 25.

19. Res quoq; communis in feudum dari potest. 2. F. 58. §. *item sciendum.* eoq; casu utrinq; datur actio communi dividundo, si alteruter à communione, discordias. *l. 77. §. 20. de legat. 2. & immensas contentiones excitante l. 26. de S. U. P. discedere velit, d. tit. 58.* quia in ea remanere nemo cogitur *l. ult. C. comm. divid.* nisi juramento se ad hoc obligaverit *arg. c. 20. X. de jurei. c. 2. de pact. in 6.* Res tamen accipientis ipsi in feudum dari nequit. *arg. l. 45. de R. J. §. 14. Inst. de act.* nisi sciens eam ut alienam in feudum recognoscere velit ab alio hujus rei gnaro, quo casu res allodialis fit feudalis.

20. Præterea Dominus potest aliquem de feudo quod alius detinet, etiam invito 1. F. 27 §. *si quis.* Et 2. F. 26 §. *moribus.* & multo magis ignorante eo *l. 26. de R. J.* sub hac conditione, nam pura investitura hoc in casu sine consensu possidentis non valet. 1. F. 9. & *tit. 22. §. si quis.* & 2. F. 97. quando sc. sibi vel heredi v. c. per mortem possessoris fuerit apertum 1. F. 3. & 9 d. §. *moribus.* investire. *dd. text.* Kan vnd mag einem andern die Anwartsung vergönnen. (quamvis jure civili pacta de futura successione certi alicujus viventis non valeant. *l. ult. C. de pact.*) Et tum præmortui concedentis Laici heres si rationibus claruerit, omnimodo tenetur investituram implere. 1. F. 3. *in fin.* 2. F. 58. §. *item.* Ecclesiastici verò, qui de rebus Ecclesiæ, non de suis 2. F. 35. *pr.* investituram fecit; successor non item. 1. F. 9. d. §. *moribus d. tit. 37.* nisi investitus nomine ejus in possessionem feudi missus sit *d. tit. 3.* vel investitor decesserit feudo ad se jam reverso *d. tit. 35. v. cumq.* Quod si investitus præmoriatur, spem conditionalis investituræ ad heredes transmittit. §. 4. *Inst. d. V. O.* licet alii malè contradicant. *d. tit. 9.*

21. Denique etiam res Ecclesiasticæ infeudari possunt. 1. F. 6. modò concedens. *vid. 1b. 11.* rem ita gerat, ut dissipator videri non possit. 2. F. 91. Decimæ tamen de novo dari Laicis in feudum nequeunt. *c. 17. & 19. X. de decim.* ante Concilium tamen Lateranense quod celebratum Anno 1279. data & postea ad Ecclesiam reversæ, rursus in feudū rectè dantur. Idem de



titulis esto iudicium, qui de novo in feudum dari prohibentur, ante decretum tamen Urbani Laico in feudum dati firmiter permanent. *1. F. 6. pr.*

22. Fundo autem, territorio. *Vide l. 239. §. pen. de V. s. castro & c. in feudum dato etiam res illis cohærentes, omnia jura, item quæ perpetui usus causâ ibi sunt omnesq; fundi pertinentiæ simul concessæ creduntur arg. l. 17. §. 7. de ac. emt. nisi nominatim excipiantur, l. 23. de R. 7.* Petens autem probare debet, hoc vel illud inter pertinentias rei habitum fuisse. Quin etiam castro cum omnibus juribus & pertinentiis concessio, iurisdictionio ei cohærens, etiamsi ejus nulla fiat in concessione mentio, simul data censetur, & tam merum quàm mixtum imperium.

23. Acquiritur feudum I. Præscriptione, si quis enim bonâ fide per 30. annos rem aliquam etiam Ecclesiasticam ut feudum possedit, & servitium Domino ut Vasallus præstitit vel exhibuit, quamvis de ea non sit investitus, præscriptione tamen 30. annorum se tueri potest. *2. F. 26. §. si quis. & tit. 33. v. inde & tit. 87.* Sic qui per 30. annos nomine fundi allodialis servitia feudalia alicui præstat, Dominium directum amittit, & alterius fit Vasallus. Eodem modo Dominus rei feudalis ad se reversæ & per 30. annos quietè possessæ nomine postea à Vasalli heredibus conveniri nequit.

24. II. Sententiâ iudicis, si iudex pronunciaverit fundum reverà allodiale esse feudalem, eaq; sententia in rem iudicatam transiverit, habetur enim pro veritate. *l. 25. de stat. hom. l. 207. de R. 7.*

25. III. Successione *2. F. 1. in fin. & 33.* quæ in feudis, secus jure civili *§. ult. l. per quas pers. cuiq; acq.* una tantùm est, sc. ab intestato, nullâ de feudo, aliud est in melioramentis & fructibus jam perceptis, valente ordinatione testamentariâ. *1. F. 8. pr.* nisi Domino & agnatis consentientibus, vel ex pacto investituræ, vel feudum sit merè hereditarium, vel proximus agnatus instituatur.

26. In successione autem mortui vasalli prima semper est liberorum prioris matrimonij. *2. F. 26. §. mulier.* (nisi feudum contemplatione secundæ conjugis sit acquisitum. *2. F. 103.*) sive suorum sive emancipatorum. *Nov. 118. c. 1. pr. causa §. 1. de her. qual. §. 1. §. præcipimus,* iis enim (modo non sint nati ex matrimonio ad morganaticam vel lege Salicâ contracto, si n. in feudis nunquâ succedunt, in proprietate verò, i. e. allodialibus, aliis non extantibus. *2. F. 29.*) in infinitum. *2. F. 20. l. ult. C. de sui & legit. extantibus, ceteri remouentur. 1. F. 8. pr. & 2. F. 11.* Nihilq; interest, sive in allo-



allodialibus sint heredes instituti sive exheredati & sive verè sint nati sive ex utero exfecti. l. 12. de lib. & posth. l. 1. §. 9. unde cogn. l. 1. §. 5. ad SC. Tert. modò non monstrosi. l. 14. de stat. hom. l. 3. in fin. C. de posth. her. inst. vel imperfecti, nam hi in feudo, secus jure civili §. 3. Inst. de her. ab inst. l. ult. §. 7. C. de cur. fur. non succedunt. 1. F. 6. §. mutus & 2. F. 36. licet ex feudo ipsi debeantur alimenta. d. §. mutus.

27. Clerici jure civili. l. 56. §. 1. in fin. C. de Episc. & Cler. non etiam feudali succedunt, immo feudum quod antea habuerunt, perdunt. 2. F. 21. §. 26. §. qui Clericus. tit. 30. in fin. tit. 36. miles enim Christi factus definit esse miles seculi. 2. F. 109 & mundo moritur d. l. 56 pr.

28. Faminæ etiam & earum filii in feudis (secus jure civili. Nov. 118. c. 1. pr.) non succedunt. 1. F. 1. §. hoc autem, & tit. 8 §. filia. t. 13. §. et sit. 24. Et 2. F. 2. in fin. tit. 11. §. ad filias. t. 36. in fin. tit. 50. pr. nisi feudum sit fæmineum Wetber oder Runcfelschen / d. §. ad filias & 2. F. 30. pr. & t. 50. vel eo pacto acquisitum. d. §. hoc autem. d. §. filia d. §. item. d. §. ad filias. Et 2. F. 17. pr. t. 23. in fin. t. 50 pr. t. 51 §. 3 t. 104. §. item. vel merè hereditarium. 2. F. 18. Vel Francum, vel pro quo tale servitium præstatur, quod non minus decenter fæmina præstare potest quam masculus. 2. F. 104. pr. Vid. etiam t. 12. Quamvis nec his casibus regulariter succedant, quamdiu masculus superest ex primo acquirente 1. F. 6. §. quinetiam. Et 2. F. 17. v. cum q. tit. 30. v. alii. tit. 51. §. 3. nisi specialiter convenerit, ut simul & æqualiter cum masculis succedant. 2. F. 104. §. item. Fæmina tamen à feudi successione per masculi existentiam semel exclusa non semper manet exclusa, sed deficientibus masculis admittitur 1. F. 8. §. filia.

29. Succedunt autem filii æqualiter 1. F. 1. §. 1. & t. 8 pr. & primi gradus in capita. Auth. in successionem C. de sui & legit. Nov. 118. c. 1. ulterioris, ut si vel soli aviatici extent, vel cum patris suis concurrant, in stirpes. d. Nov. 118. c. 1. Et lib. 5. F. 1. ex parte patris jure representationis. 1. F. 8. pr. t. 14. §. si Capitanei. tit. 19. §. si quis. Et possunt feuda inter se suo arbitrato dividere. 2. F. 26. §. omnes. nisi sint regalia, 2. F. 55. §. præterea. quia ea ad primogenitum & ejus filium excluso secundogenito pertinent. Aur. Bull. c. 7. Hodie tamen ea interdum dividuntur tam ratione bonorum & uulsi dominii. quam administrationis & jurisdictionis.

30. Legitimati per subsequ. matr. jure civili cum legitimis, quibus per omnia comparantur. Nov. 74. c. 2. pr. c. tanta. X. qui pl. sint legit. succedunt. Nov. 12. c. ult. Jure autem feudali nec soli nec cura aliis. 2. F. 26. §. naturales,



*naturales*. Praxis tamen moderna eos admittit. Per rescriptum legitimati *vid. Nov. 89 c. 9*. à legitimis etiam jure civili in nihilo differunt. *ad text.* ideoque vel soli vel cum legitimis postea natis succedunt. In feudis tamen non admittuntur. *d. §. naturales*. nisi ad ea consentientibus Domino & agnatis expressè fuerint legitimati.

31. Adoptatus jure civili *§. 2. Inst. de adopt. l. pen. C. eod.* non jure feudali succedit. *2. F. 26. §. adoptivus*. nisi vi investituræ, vel adoptatus sit ab eo cui aliàs erat successurus, vel consensus Domini & agnatorum accedat. Naturales liberi matri & patri jure civili succedunt *l. 2. l. 3. und. cogn. l. pen. §. fin. C. ad. SC. Orfit. Nov. 89. c. 12. §. 4* secus tamen est in feudo. *2. F. 26. §. naturales* Incestuosi & adulterini nullo jure succedunt, immò iis alimenta negantur. *Nov. 74. c. ult. Nov. 89. c. ult.* non quidem ea sine quibus vitam amitterent, quod esset necare. *l. 4. d. agnosc. lib. & dicere absurdissimum* (quid enim inhumanius quàm dicere, eos fame esse necandos) sed sine quibus vel proprio labore vel aliunde se possint sustentare *vid. c. 13 in fin. X. qui fil. sint legit.*

32. Post descendentes jure civili succedunt ascendentes. Et quidem si soli sunt ex eadē linea in capita, ex diversâ verò in stirpes observatâ semper gradus prærogativâ, jus enim repræsentationis hîc cessat. Si soli non sunt, tum ascendentes cujuscunque gradus, secus ac olim *l. 9 C. de legit. ber.* concurrunt vel cum defuncti fratribus utrinque conjunctis (aliis exclusis) & successio fit in capita, aut cum eorum filiis tantùm, & illos excludunt (quando enim fratris filii non concurrunt cum thîis suis, ut hîc, non habent jus repræsentationis *text in Nov. 118 c. 3. vers sed & ipsis*) aut cum fratribus & alterius præmortui filii simul, & tum ascendentes & fratres defuncti in capita, fratris verò filii in stirpes succedunt. *Auth. defuncto. C. ad SC. Tert Nov. 118. c. 2. Nov 127. præfat. & c. 1.* Jure feudali ascendentes non succedunt *2. F. 50. nisi ex pacto investituræ. 2. F. 84.* vel filius propter benemerita patris fuerit investitus.

33. Extra hos & similes casus statim succedunt Collaterales, adeo ut si frater meus alienaverit partem suam feudi antiqui, vel fecerit investire filiam suam me invito, si moriatur sine herede, ad me revertatur. *1. F. 8. §. hoc quoque.* In novo feudo fratres non succedunt quamvis communitè id acceperint. *1. F. 1. §. sin autem. t. 8 in fin. tit. 14. §. si duo. Et 2. F. 12. & 18.* nisi pactum de successione fuerit factum *2. F. 90.* vel feudum sit absolute hereditarium, vel de communibus bonis emtum, vel utriusque nomine



nomine Domino sciente, aliàs secus. 2. F. 12. vel fratres infimul Æeterint, vel in hostem Regis acquisierint. 1. F. 20.

34. Inter Collaterales potiores sunt fratres eorumque filii germani aut consanguinei (hi enim hoc jure per germanos non, sicut jure civili *Auth. cessante C. d. leg. her. Nov. 118. c. 3.* & utroq; jure uterini, excluduntur. Et quidē fratres si soli sunt, succedunt in capita. *Nov. 118. c. 3.* Si cum illis concurrant fratrum filij (qui ipsi hoc casu ob jus representationis patrum, defuncti excludunt. *Nov. 118. c. 3.*) in stirpes 2. F. 11. d. *Nov. 118. c. 3. Const. Carol. V. in comit. Nuring. d. Anno 1521. §. Unde de weil. & c.* Quod si fratrum filii soli sint, utroq; jure succedunt in capita. 1. 1. §. *fin. si pars hered. pet. §. 4. Inst. de legit. agn. succ. l. 2. §. 2. de suis & legit. l. pen. §. 1. v. illo. l. ult. §. 3. C. de legit. her. Const. Imper. Carol. V. in comit. Spirens. de Anno 1529.*

35. Post fratres fratrumq; filios succedunt omnes deinceps agnati. 2. F. 11. v. *hū verò. Auth. post fratres fratrumq; C. de legit. her.* (nam cognati hoc jure, secus Jure civili *Nov. 118. c. 4.* non succedunt. 1. F. 1. §. *hoc autem.* Et 2. F. 11. v. *ad cognatos. tit. 23 & 1. 50.*) in infinitum. 1. F. 1. §. *hoc quoque* Et 2. F. 31. & 1. 50. §. 3. *I. de legit. agn. succ. §. ult. I. de servil. cogn. Ultimus enim id beneficio primi acquirentis consequitur, etiam si ad mille manus pervenerit, modo gradus proximitatem probet 2. F. 31. in fin. & 1. 50.* Gradu enim proximior Vasallo defuncto non primo acquirenti. 2. F. 50. *in fin.* posteriores excludit. 2. F. 11. v. *hū verò.* Pares autem gradu pariter admittuntur. *Nov. 118. c. 3. in fin.*

36. Quamvis autem filius feudum qualecunque sit, retinere non possit repudiata hereditate, sed aut utrumque retinere aut repudiare debeat. 2. F. 45. & 1. 51. §. *filium.* Agnatus tamen feudum ex pacto & providentia (quoad hereditarium nulla inter hunc & filium est differentia) repudiata hereditate retinere potest. *d. t. 45.*

37. Quocunque autem casu filius heres extiterit, nam aliàs secus, æs alienum à patre cōflatum exsolvet. Agnatus autem si feudum ex pacto & providentia (in hereditario feudo si succedit, æs alienumolvere tenetur) accipiat, repudiata hereditate, non tenetur ad exsolutionem æris alieni ab Antecessore contracti, nisi de fructibus, anno mortis antecessoris natis. 2. F. 45.

38. Cessantibus collateralibus Jure civili succedunt conjuges. *lun. ff. & C. unde vir & ux. l. ult. C. quor. honor. & interdum quoq; extantibus liberis. Auth. præterea. C. unde vir & m.* Jure Feudali uxor marito non succedit

B

cedit



cedit. 2. F. 8. §. *quamvis*. nec maritus uxori. 1. F. 15. & 2. F. 13. nisi specialiter tanquam de proprio feudo sit investitus. d. tit. 15. & 2. F. 58. Alias feudum ad Dominum pertinet, fructus autem ad filiam vel uxorem Vasalli. 2. F. 86. si is post Calend. Mart. usque ad Calend. Sept. exclusivè moriatur, quod si post Augustum usque ad Cal. Mart. Dominus eos percipiet. 2. F. 28. §. *his consequenter*.

39. Nullo consanguineo vel conjuge extantibus, regulariter Fiscus bona vacantia. *Vid. l. 1. §. 2. de jur. Fisc. l. pen. C. de bon vacant. occupat. l. 6. §. 3. ad SC. Tert. l. 96. §. 1. de leg. 1. l. 1. l. 4. C. de bon vacant. jure superioritatis & in vim regalium. 2. F. 56. Jure Feudali deficientibus Feudalibus successoribus excluso Fisco feuda aperiuntur Domino. 1. F. 13. v. et si. Et 2. F. 11. & t. 28. §. *his consequenter*.*

40. IV. Investiturâ 2. F. 1. §. *sciendum*. & tit. 33. pr. justo subnixâ titulo. *arg. l. 31. de A. R. D.* vel id quod non est faciendi, vel id, quod est renovando. Ea denotat vel ipsam Feudi possessionem. 2. F. 2. pr. vel instrumentum super hoc contractu confectum (quod aliàs dicitur breve testatum. 1. F. 2. & 3. & t. 4. §. 3. & 5. Et 2. F. 32.) vulgo *LebensBrieff*. Vel ipsum investiendi actum dicitur *Belehnung* / sine quo Feudum constitui nequit. 1. F. 25. Et hoc sensu hîc investitura de novo Feudo est vel propria vel impropria seu abusiva. 2. F. 2. pr. Illa est corporalis feudi possessionis traditio & apprehensio, & fit, quando Dominus Vasallum in feudi possessionem realiter *Würclich vnd Leiblich* inducit. Hæc fit, quando loco rei gladius, sceptrum, vexillum vel aliud quid symboli loco porrigitur à Domino se investituram per hoc facere dicente 2. F. 2. pr. Et hæc investitura nisi in re præsentî fiat, veram possessionem nõ tribuit. *arg. l. 1. §. pen. de acq. poss. l. 74. de contr. emt.* Eâ tamen factâ Dominus præcisè ad tradendum obligatur. 1. F. 4. pr. nec liberatur præstando interesse. 2. F. 7. in fin. & t. 26. §. *si facta*. Quod si plures de eodem Feudo sint investiti, is cui tradita est possessio potior est. *arg. l. 15. C. de rei vind. l. 6. C. de hered. vendit. l. 31. §. ult. de act. emt.* alteri autem Dominus ad interesse tenetur. d. t. 7. d. l. 6. vel ad æquivalens feudum. d. §. *si facta*.

41. Tenetur autem Vasallus investituram feudi veteris petere, quoties necesse est, & semper Domino vel Vasallo mortuo. 2. F. 55. in pr. *Vid. ib. 56.* & ipse Dominum requirere, ac sese ultro intra annum & diem ad se elatam offerre 2. F. 40. pr. Novi feudi investitura quando petenda, nullibi exprimitur, sed Vasallus ad requisitionem Domini fidelitatem facere



cere debet, ter autem admonitus hoc facere nolens feudo cadit. 2. F. 24. §. Est & alia. Ipse tamen Dominus si investituram nimis differat, potest à Vasallo adiri & investituræ nomine interpellari.

42. Eam facit Dominus immediatè proximus, vel ejus nomine alius 2. F. 3. §. sed utrum & t. 58. §. item. Quod si plures habeat heredes, ex illis unus & plerumq; Senior investit, & fidelitatem recipit omnium nomine. Vasallus enim pro uno feudo plures Dominos habere 2. F. 55. §. præterea. aut duas fidelitates facere non tenetur. 2. F. 77 & 102. Eodem modo Vasallus & per alium rectè investitur. d. §. sed utrum. d. §. item. Si plures habet filios, omnes investituram petere & fidelitatem facere debent, (& quod partes feudi divisi tot erunt fidelitates. 2. F. 77.) nisi feudum ad unum ex divisione pervenerit. 2. F. 26. §. omnes. & t. 55. §. præterea & t. 99.

43. Valet etiam investitura simultanea *Gesampre Hand/* vel *sämpfliche* oder *Wirt Belehnung/* quâ duo vel plures simul investuntur unus propriè, alter abusivè. i. e. ut hic, illo sine successore mortuo succedat. Et tum simultaneè investiti etiam remotiores cum aliis viritim succedunt, proprio enim jure veniunt ex pacto *der gesampren Hand/* vel *Krafft sämpflicher Belehnung.* Si tamen in investitura vocentur *nach rechrer Sippzahl/* succedunt juxta prærogativam gradus.

44. Investitura fit vel purè, vel in diem, vel sub conditione 2. F. 9. & 2. F. 35. possibili, arg. §. 11. *Inst. de inutil. stip. l. 9. §. 6. de reb. cred.* eidemque varia pacta adjici solent, quæ, si honesta §. 24 *J. de inutil. stip. l. 26. de V. O.* omnino sunt servanda *l. 1. de pact. c. 1. & 3. X. eod.* & omni Feudorum naturæ derogant. 2. F. 18. Talia sunt, ut Vasallus comitetur Dominam ad Ecclesiam. 2. F. 2. §. ult. ut non præstet juramentum fidelitatis. *Vid. ib. 47.* ut servitia *die LebensDienste* sumtibus propriis exhibeat. *Vide 2. F. 107.* ut certum 2. F. 51. §. ult. vel nullum præstet servitium, ut feudum alienare possit. 2. F. 48 ut cantilenam dicat coram Domina, vel alaudam aut regulum boum curru vectum vinctumq; offerat. &c. Pacta tamen legis Commissoriæ 2. F. 51. §. 6 ut & de jure connagii vel laxandæ coxæ &c. improbamus.

45. Scriptura non est de substantia investituræ, ad probationem tamen rectè adhibetur, diciturq; breve testatum, quod hodie Dominus Vasallo petenti semper dare tenetur, sicut econtra Vasallus antapocham seu reversalem.



46. Investitura novi feudi, fecus in veteri. 2. F. 32. §. de veteri. à Laico non fit, nisi coram paribus (inspectio investituræ tempore. 2. F. 19. l. 22. §. 1. qui test. fac. §. 7. I. de test. am.) curiæ. 2. F. 32. & r. 58. §. quod. & §. seq. modo eos habeat. 2. F. 2. pr. vel præsentis, vel si absint eorum copiam, quo casu ad hunc actû sunt citandi, simulq; pro arbitrio iudicis expectandi. 2. F. 33. §. nec dicatur. Alias etiam extranei admittuntur. 1. F. 26. §. testes & d. r. 33. §. quod autem. Clerici investiunt vel de rebus Ecclesiasticis, & tum admittuntur pares & extranei 2. F. 26. fin. pr. vel de propriis, & tum idem juris in iis, quod in Laicis. 2. F. 32. pr.

47. Factâ investiturâ tenetur Vasallus Domino fidelitatem die & obsequii facere 2. F. 4. & 7. in fin. etiam si sit Clericus. arg. c. 30. X. de iur. rei. vel Imperator 2. F. 100. Non tamen Ecclesia 2. F. 101. Rat. in 1. F. 13. v. Ecclesia. ut nec minor, 2. F. 26. §. si minori & §. seq. Hæc autem fidelitas hoc jure semper est jurata, estq; juramentum quod Domino à Vasallo præstatur. 2. F. 4. Et qui id præstitit, dicitur Vasallus per sacramentum. 2. F. 47. Pacto tamen potest esse injurata, & tum dicitur feudum sine fidelitate. 2. F. 3. in fin. t. 24. §. est & alia. in fin. tit. 47. in fin. t. 76.

48. Fidelitas autem fit in antiquo feudo juxta formam primæ investituræ, à cujus stricta observatione recedi nequit, nisi utriusq; voluntate, Hinc aliter jurare nemo tenetur, immo nisi ex certa scientia aliter juratû constet præsumitur errore vel metu factû esse. In novo feudo, nisi aliud placuerit præstandû est juramentû quod extat 2. F. 7. & continet sex de quibus 2. F. 6. in quibus sex nisi Dominus vicem mutuam fideli reddat, erit malefidus. d. r. 6. in fin.

49. Effectus investituræ est, quod recte investitus nequeat devestiri, nisi convictâ culpâ 1. F. 7. & 21. laudamento parium approbatâ. 1. F. 22. §. sancimus. Et s. tit. 1. Quod percipiat omnia commoda ex re aut ejus occasione provenientia. 1. F. 4. §. 5. & 6. Quod habeat interdicta, tam adipiscendæ & retinendæ quàm recuperandæ, etiam contra Dominum. arg. l. 1. §. 43. de vi arm. quod possit etiam ab ipso Seniore, l. 1. in fin. si ager vectig. feudum vindicare, & ab alio ejus nomine conventus defensionem opponere (quo casu si pro eo aut contra eum judicetur, vel Vasallus citra fraudem etiam in præjudicium Domini transegerit, Dominus id ratum habere cogitur. 2. F. 26. §. si Vasallus & r. 43.) quin & servitorem feudo debitam petere & retinere. 2. F. 8. §. rei. Quicquid autem Feudo additur per se non subsistens, feudo accedit. l. 11. §. 1. quem serv. amitt. quod



quod autem per se subsistit, non item 2. F. 8. §. *et contrario*. Servitutem tamen si feudo imponat, ea resoluta jure illius extinguitur. d. §. *rei*. & d. l. 11. 50. Quamvis etiam feudum citra fraudem possit locare. 2. F. 9. §. *donare*. non tamen (sine consensu Domini in omni feudo, agnatorum in veteri 2. F. 39. pr.) potest alienare. *vid. Th. 54.* (sicut nec Dominus invito Vasallo jus suum. 2. F. 34. §. *ex eadem*.) vel donare, aut judicare pro anima, vel in dotem pro filia (uxor tamen marito in dotem dat rectè, 2. F. 13. & 17.) dare 2. F. 9. pr. & §. *donare*. t. 52. pr. t. 55. pr. vel cambium de eo facere. 1. F. 22. §. *siquis*. adeo ut Notarius super hoc instrumentum conscribens amisso officio cum infamia manum amittat. d. t. 52. & 55. §. *scriba*. Et hinc in generali bonorum Vasalli alienatione non continetur feudum 2. F. 26. §. *in generali*.

51. Feudi refutationem *die Lehens auffassung* vel *auffündigung* modo tempestiva sit, Vasallus facit etiam Domino nolente, eaq; facta ad serviendum non tenetur amplius. 2. F. 38. Ea est vel propria, quæ fit in manus Domini, & tum nisi fiat ad hoc ut filij investiantur 2. F. 14. in feudo novo descendantibus omne jus id petendi adimitur, in antiquo refutatio vivo Vasallo nocet liberis & agnatis. postea non item. Vel impropria, quæ fit in manus filiorum aut agnatorum, & quidem illis omne feudum refutari potest, his tantum antiquum.

52. Causæ amittendi feudi rotundâ definitione comprehendi vix queunt, sed quàm humiliter &c. Vasallus se habere debeat, potius ex naturalibus præceptis & Curiarum consuetudinibus percipi, quàm lege declarari possit. 2. F. 23. pr. Regulariter tamen amittitur ob culpam. *Th. 49. pr.* interdum etiam sine culpâ, ut religionis ingressu *Th. 27.* vitio corporis. *Th. 26. in fin.* præscriptione. *Th. 13.* interitu rei. l. 2. *de usufr.* l. 1. *C. de jur. Emphyt.* deficientibus successoribus. *Th. 39. &c.*

53. Culpa est vel commissionis, & dicitur Felonia, ein *Schelmenstuck* / vel Omissionis. Commissionis 1. si fidelis Dominum sciens curbitaverit, 2. F. 57. & §. F. 2. i. e. cum uxore vel sponsa ejus l. 15. §. 24. *de injur.* l. 13. §. 3. *ad l. Jul. de adult.* etiam volente. l. 1. §. 5. *de injur.* non autem cum vidua 1. F. 21. §. *fin.* vel concubina concubuerit, vel concubere se exercuerit, aut cum ea turpiter luserit, vel etiam Domini filia vel nepoti ex filio, nurui, aut sorori in domo adhuc manenti quæ in capillo dicitur se immiscuerit. 1. F. 5. pr. t. 17. t. 21. Et 2. F. 24. §. *rursus* & t. 38.

54. II. si sciens. 2. F. 26. §. *si vasallus*. ignorantia succurritur. 2. F. 42. to-



tum vel partem Feudi Excip. 2.F. 48. ignorante Domino. 1. F. 13. §. si verò voluntariè in extraneum arg. 2.F. 3. §. 1. alienaverit. 1. F. 18. in fin. & t. 21. §. ult. Et 2. F. 9. pr. t. 24. in fin. t. 38. t. 52. t. 55. Conf. Tb. 50. vel ita pignoraverit, ut tractum permittat. 1. F. 5. §. aut si. tum enim amittit id quod alienavit etiam si recuperaverit. 2. F. 44. pænitentia enim hic nihil operatur. l. 17. §. 1. de edil. edict. l. 65. de furt. & Domino aperitur 2.F. 24. in fin. t. 38. t. 44. & 55. v. callidus.

55. III. Si fratrem suum vel nepotem, vel filium vel fratris filium interfecerit. 1. F. 5. v. item si fratrem. & 2. F. 24. v. si verò & t. 37. vel aliud grave crimen parricidij commiserit. d. t. 24. §. Deniq; aut quem prodiderit. d. t. 37. Vel sciens Dominum (non si ejus fratrem, nisi proditorie. d. t. 37) interfecerit, vulneraverit. 1. F. 5. assalierit, accusaverit, vel testimonium contra eum in causa criminali vel civili haut exigua reddiderit. sponte 2.F. 33. v. similiter. vel inhonestis factis aut indecentibus machinationibus offenderit 2.F. 57. pr. vel vicum in quo Dominus vel Domina est, obsederit (sola cogitatio non punitur. 2.F. 51. §. si voluerit. l. 18. de pæn.) vel impias manus in Dominum ingesserit (quod non fit, si Dominum à quo truculenter invaditur, pro defensione vitæ occidat, arg. l. 4. pr. l. 45. §. 4. ad l. Aquil. c. 3. X. de sent. excomm.) vel aliàs graves & inhonestas injurias intulerit. 1. F. 5. v. similiter. Et 2.F. 24. v. porro. vel Domini credentiam ad ejus damnum scienter manifestaverit. 1. F. 17. vel Dominum ex delatione grave dispendium sustinere fecerit. 2. F. 24. v. item si delator. vel morti Domini veneno &c. insidiatus fuerit. d. v. porro. vel cum inimicis Domini in perniciem ejus amicitias copulaverit. d. t. 57. si subditos arg. §. ult. f. de his qui sui vel al. jur. l. 2. ff. eod. aut feudum inordinate tractaverit, & admonitus non resipuerit. 2.F. 27. §. quicumq; si deniq; ex certa scientia feudum inficietur & inde convincatur. d. t. 26. §. 3. & S. Vasallus feudum. & t. 34. §. ult. &c.

56. Omissionis I. si Vasallus intra annum & diem, ex æquitate intra annum & mensem. 1. F. 22. pr. renovationem investituræ non petierit, transacto enim hoc spatio. 2.F. 55. fin. pr. à tempore scientiæ computando. arg. l. 1. §. 1. ff. de jur. & fact. ign. nisi iusta causa intervenerit. 1. F. 22. l. 2. §. 3. si quis caution. & omnis culpa abfuerit. 2.F. 52. in fin. & t. 92. & t. 97. beneficium amittit. 2.F. 24. pr. t. 40. pr. tit. 55. fin. pr. Quod si duo de directo Feudi dominio contendant, Vasallus non cogitur investituræ renovationem petere, interim si petere velit, consultius à possidente petit arg. l. 126. §. ult. de R. l. §. 4. Inst. de interd. l. ult. C. de R. v.



57. II. Si Domino justitiam facere. 2. F. 24. v. *illud*. vel juramentum fidelitatis præstare recuset. 2. F. 24. §. 1. vel requisitus, aliàs se representare. 2. F. 26. §. *sed et si*. & servire non tenetur, modo servire sit paratus 2. F. 26. §. *licet*. t. 28. §. *ad hoc* t. 37. §. 1. l. 22. pr. l. 24. de oper. lib. servitia debita præstare nolit. 1. F. 22. Et 2. F. 24. v. *sed non*. vel ad auxiliandū à Domino alicui justè guerram faciente vel in vaso vocatus non venerit 2. F. 28. pr. cumve non adjuverit. 2. F. 28. pr. & §. *ad hoc* vel indictâ expeditione Romam ad suscipiendam Imperii coronam Regem aut sub Rege Dominum non adjuverit aut eundo cum ipso, aut pro quantitate feudi stipendia militiæ persolvendo, aut alium acceptabilem Domino pro se mittendo. 2. F. 54. & t. 55. §. *firmiter*.

58. III Si Dominum in prælio periclitantem nec mortuum nec lethalter vulneratū dimiserit, 1. F. 5. pr. t. 17. Et 2. F. 24. §. 2 & t. 57. & cum eo non laboraverit 1. F. 21. in fin. vel eum obsessum sciens. 2. F. 28. §. *ad hoc*. vel carceri inclusum. 2. F. 24. v. *item si*. aut à morte non liberaverit. 2. F. 39. in fin. vel rescierit aliquem contra Dominum assaltum vel captionem aut patrimonij jacturam grandem. l. fin. C. de revoc. don. facere molientem, & Dominum quàm citius potest, non certioraverit. 2. F. 7. & t. 24. v. *præterea*. c. 3. dist. 86. & ultrò hinc Domino adiutorium suum non præbuerit. 2. F. 26. §. *licet*. vel requisitus filium vel subvasallum qui Dominum offendit, à se non separaverit, nec ad Dominum deduxerit, ut ei satisfaciat. 2. F. 55. v. *in super*. & *vers. illud*. & c.

59. Et ob has causas potissimum feudum amittitur, non ipso jure, sed per sententiam, cognitâ causâ & per quinque testes probatâ. 2. F. 57. Sed quia natura novas edere formas deproperat. l. 2. §. 18. C. de U. I. E. potest multis modis contingere, ut alia emergant causæ quibus videatur justè adimi posse feudum, ideoque Judex solers & discretus & æquitati obsecundare sollicitus. l. 4. in fin. de eo quod cert. loc. & boni innocentisq; viri officio fungens l. 4. §. 1. fam. ercisc. l. 38. de R. V. 2. F. 28. §. *ad hoc*. cuncta subtiliter considerans provideat, si qua prædictis causis similis vel major sit digna ob quam Feudū amittatur. Vide 2. F. 24. §. 2. v. *sed quia*. Quod si autem Vasallus commiserit culpam, ob quam justè posset feudo privari, & in vita sua Dominus non fuerit conquestus, aliàs secus l. 13. pr. de injur. filius conqueri non poterit. arg. l. fin. C. de revoc. don. Qualiter autem Dominus proprietate Feudi privetur Vid. 2. F. 26. §. *Dominio*. & t. 47.

60. Applicatur autem Feudum novum ob culpam in Dominum

com.



commiffam amiffum Domino exclusis liberis & agnatis. Paternum aut amittitur ob culpam in Dominū, & tum ad Dominum redit, Si ob aliam culpam, ad agnatos proximiores usq; ad quartum gradum pertinet. 1. F. s. v. bis. Et 2. F. 24 §. deniq; t. 26. §. si Vasallus & tit. 31. & t. 37. Filius autem ad id nullatenus adspirabit. 2. F. 31. Ob Prælati delictum Ecclesia Feudo eo tantum vivente privatatur. 2. F. 40 in fin. Domino committente feloniam proprietates Feudi semper ad Vasallū pertinet. 2. F. 26. §. Domino.

61. Nunc de judicio cauffarum Feudalium. Eæ aguntur vel inter Convasallos ejusdem Domini, & Dominus Feudi (si plures sint, omnes judicant) regulariter (Excipe 2. F. 15. 34 pr. 46. & c.) est Judex. 2. F. 55 in fin. c. 6. X. de for. compet. Vasalli autem Imperij nostri sunt vel mediatè ipsi Imperio subjecti, & tum judicat ipsorum Dominus intermedius. Vel immediatè, & tum si feudum sit regale, Camera Imp. cognoscere nequit. sed solus Imperator. 1. F. 18. pr. Ord. Cam. p. 2. t. 7. Aliàs quidem Imperator judicat, sed Camerae jurisdictio concurrat cum Cæsarea, ut quæ prævenitur, fundata existat. Vel inter Vasallum & Dominum, & eæ per pares curiæ, qui ab uno & eodem Domino feuda tenent, à Domino sub fidelitatis debito conjuratos terminantur. 1. F. 10 Et 2. F. 20. pr. & t. 39. §. si inter. & t. 55. in fin. Conf. 2 F. 16. Hinc Dominum de quo Vasallus conqueritur, Curia salvà reverentiã coget, ut se Judicio suo submittat, quod si is Vasallo justiciam facere noluerit, poterit ab hoc deprædari. 2. F. 22. Quod si Dominus pares non habeat vel suspecti arguantur & c. Ordinarij est cognitio.

62. Specialia sunt in hoc judicio, quod Testes adhibeantur duntaxat mares 2. F. 32. in fin. & si haberi possint, tantum pares Curia 1 F. 26. §. testes. quod Dn. & Vasallus à se invicem juramentum calumniæ non exigant. 2. F. 33. §. 1 (Vasallus à Convasalio hoc rectè exigit. arg. l. 2. pr. C de jurei. calumn) quòd possessori præsumptione munito etiam altero nihil probante interdum deferatur juramentum. Vid. 2. F. 33. cum duodecim ut plurimum Sacramentalibus. 1. F. 4. §. 2 in fin. & t. 10. & 28. Et 2. F. 33. v. & cum: In reliquis proceditur regulariter, ut in civilibus.


*Pluribus hac materia tractari debuisset, sed Juridicæ  
Facultatis Academia statutum obstat. Ergo  
hîc pedem figere cogor.*

SOLI DEO GLORIA.














the scale towards document

ciente, aliàs secus. 2. F. 12. vel fratres infimul Æterint, acquisierint. 1. F. 20.

erales potiores sunt fratres eorumque filii germani aut nim hoc jure per germanos non, sicut jure civili *Aust. er. Nov. 118. c. 3.* & utroq; jure uterini, excluduntur. Et sunt, succedunt in capita. *Nov. 118. c. 3.* Si cum illis conj (qui ipsi hoc casu ob jus representationis patrum, *Nov. 118. c. 3.*) in stirpes 2. F. 11. d. *Nov. 118. c. 3. Const. Turinb. d. Anno 1521. S. Unde de weil. & c.* Quod si frat roq; jure succedunt in capita. l. 1. §. fin. si pars hered. tit. agn. succ. l. 2. §. 2. de suis & legit. l. pen. §. 1. v. illo. l. her. Const. Imper. Carol. V. in comit. Spirens. de An-

s fratrumq; filios succedunt omnes deinceps agnati. *u. h. post fratres fratrumq; C. de legit. her.* (nam co- us Jure civili *Nov. 118. c. 4.* non succedunt. 1. F. 1. §. hoc ad cognatos. tit. 23. & t. 50.) in infinitum. 1. F. 1. §. hoc t. 50. §. 3. I. de legit. agn. succ. §. ult. I. de servil. cogn. Ul- ficio primi acquirentis consequitur, etiam si ad mille modo gradus proximitatem probet 2. F. 31. in fin. & proximior Vasallo defuncto non primo acquirenti. 2. res excludit. 2. F. 11. v. hū verò. Pars autem gradu pa- *Nov. 118. c. 3. in fin.*

utem filius feudum qualecunque sit, retinere non- reditate, sed aut utrumque retinere aut repudiare de- *1. §. filius.* Agnatus tamen feudum ex pacto & provi- ditarium nulla inter hunc & filium est differentia) re- retinere potest. *d. t. 45.*

ne autem casu filius heres extiterit, nam aliàs secus, æs flatum exsolvet. Agnatus autem si feudum ex pacto & editario feudo si succedit, æs alienum solvere tenetur) hereditate, non tenetur ad exsolutionem æris alieni tracti, nisi de fructibus, anno mortis antecessoris na-

collateralibus Jure civili succedunt conjuges. *lun. ff. e. l. ult. C. quor. bonor.* & interdum quoq; extantibus *ea. C. unde vir & m.* Jure Feudali uxor marito non suc- cedit

B